



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



# SPECIFICATIONEM EX PRINCIPIIS IVRIS NATVRAE STRICTE SIC DICTI SEV COGENTIS EXAMINAT EAMQVE

P R A E S I D E

LEONARDO LVDOVICO MENCKEN D.  
FACVLTAT. IVRID. ASSESSOR. ORDIN.

*IN AVDITORIO MAIORI  
PRO GRADV DOCTORIS*

*IN IVRE VTROQVE RITE OBTINENDO*

DIE MAI CCCCCCLVIII

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVENTIS  
EXAMINI PVBLICO PROPONIT

A V C T O R

AVGVSTVS GOTTHELFF SCHMVCKIVS

IVR. VTR. AC PRAXEOS CANDIDATVS ET NOTARIVS  
PVBLICVS CABSAREVS

VITEMBERGAE

EX OFFICINA IOANNIS SAMVELIS GERDESII





## §. I.

SENTENTIAE QVORUNDAM DOCTORVM NOMINATIM  
GROTTII, ZIEGLERI, CONNANI, PVFENDORFII,  
THOMASII, HERTII, VINNII, ALIORVMQVE  
RECENSENTVR.

**D**e specificatione iam multa ab eruditis, iisque quidem, qui principem locum tenent, dicta et scripta sunt, nam tam iure naturali, quam ciuili, adeo spinosum hoc thema videbatur, vt difficilioribus controversiis, non iurgiis solum, sed et litibus obnoxium esset. Prius tot diuersae Doctorum celeberrimorum sententiae demonstrant, posterius ex PROCYCLEIANORVM et SABINIANORVM<sup>a)</sup> diffensu patet:

Etsi vero in ciuitate, vbi saepius arbitrium et voluntas principis pro ratione legis stat, res iam certa et definita sit, at-

A 2

tamen

a) §. 25. I. de Rerum diuis.



tamen in statu naturali, vbi ex sola ratione, per quam naturales leges promulgatae sunt, res decidenda est, usque huc, ut mihi videtur, haud accurate disputatum est. Sane Hve. GROTI<sup>b)</sup> et CASP. ZIEGLER<sup>c)</sup> sententia, qua nouam species, ex aliena materia productam, communem fieri contendunt; non placet; nec FRANCIS. CONNAN<sup>d)</sup> argumentis commoueor, vt cum ipso defendam, videndum esse, materia, an forma, pluris aestimanda sit. Magna cum industria, anxiisque fere labore SAM. L. B. DE PUFENDORF<sup>e)</sup> materiam tractat, qui ex variis circumstantiis, varie rem decidendam esse putat, sed frustra. Distinctio in res fungibles, et non fungibles, quam CHR. THOMAS<sup>f)</sup> et IO. NICOL. HERTIV<sup>g)</sup> qui hunc sequitur, vrget, admittenda non videtur, multo minus in eorum sententiam pedibus ibo, qui ius romanum, et praecipue eam, quam IVSTINIANVS confirmat, doctrinam, pro iure naturali venditant, in quorum numerum ARNOLD. VENNIV<sup>h)</sup> vna cum IO. NICOL. HERTIO<sup>i)</sup> referendus, hic enim in rebus non fungi-

<sup>b)</sup> GROTI<sup>s</sup> in Iure belli et pacis cap. 8. §. 19. 21.

<sup>c)</sup> ZIEGLERVS in notis ad GROTI<sup>m</sup> loco laudato.

<sup>d)</sup> CONNANVS in comment. Iur. ciu. Lib. III. cap. 6.

<sup>e)</sup> PUFENDORFIVS in Iure Nat. et Gent. Lib. IV. cap. 7. §. 10.

<sup>f)</sup> THOMASIVS in Iurispr. diuin. Lib. II. cap. 9. §. 222. seqq.

<sup>g)</sup> HERTIVS in notis ad PUFENDORFII loc. alleg. pag. 554. l. c.

<sup>h)</sup> VENNIVS in comment. ad Institut. ad §. 25. I. de Rer. Diuin.

<sup>i)</sup> HERTIVS loco laud.



3

fungilibus idem afferit. Imo sunt, <sup>17</sup> qui nesciunt Grotii potius, an Iustiniani sententia sit iuris naturalis et verior. Hodie plerumque Doctores veterum sententias nouis rationibus tuentur.

## §. II.

PER SPECIFICATIONEM EX IURE NATURALI  
DOMINIVM PLANE NON ACQVIRITVR.

**C**eteram disputant quoque: Specificatio, num sit modus acquirendi dominium in iure naturali, nec ne? Multum Doctores fere omnes vexantur, dum intricatum hoc thema explicare student, distinctionibus novis addunt distinctiones, et tamen in cursu cadunt; per specificationem enim dominium plane non acquiritur, siue modum frigas originarium siue derivatiuum, principalem aut accessorium, certe longe aliter res decidenda est, quod ex sequentibus perspectu difficile nos erit.

## §. III.

ADNOTATIONES QVAEDAM FRAEMITTUNTUR UT MENS  
AUCTORIS EO MELIVS PERCIPY POSSIT.

**P**rius tamen, quam ipsam rem aggredi licer, pauca quaedam, ne λογομαχια oriatur, admonenda esse duxi. Primo experientia me docuit, hos, qui ex diversis principiis,

A 3

quae

1) Nominatim VICESVS HISTORVS de iure eius, Lib. II. Sect. IV.  
c. 5. §. 9. 10.



quae fundamenti loco ponunt, vnam eandemque rem explicare et quaestiones inde enatas decidere student, omnem operam perdere, alter enim idem, quod alter negabit, affirmabit, quilibet ex suo principio de sua sententia certissime persuasus, neuter tamen de alterius conuictus erit; inde tot dissensiones, et altercationes. Nunquam veritas erui et defendi poterit, nisi litigantes in principio conueniant. Nota satis et trita est regula: *Contra principia negantem nulla est disputatio*, prima ergo quaestio de principio esto. His praesuppositis iam declaro, me hic per ius naturae, ex cuius principiis specificationem dispueto, eam scientiam intelligere, quae de iuribus et obligationibus perfectis erga alios tantum agit, ita ut alter me, ad aliquid faciendum aut omittendum, cogere, et in casu contrario, in statu quidem naturali, iure armorum satisfactionem exigere possit; omnia reliqua ad alias scientias pertinent, quae a iure naturali, quod quibusdam stricte sic dictum seu cogens audit, doctrinae caussa, omnino separanda sunt. Huius lex fundamentalis est: **C O L E P A C E M E X T E R N A M.** Hos, qui fusiorem huius principii explanationem cupiunt, ad **N I C . H I E R . G V N D L I N G I V M**<sup>m)</sup> et **T H E O P H . S A M . T R E V E R V M**<sup>n)</sup> remitto. Quocunque cum hoc non pugnat, siue pacem externam non turbat, non erit contra

*m) Gvndlingivs in Iure Nat. et Gent.*

*n) Trevervs in not. ad Pvpendorf. de Offic. Hom. et Ciuit. Lib. I. cap. 3. et in primis ad §. IX. n. I..*

contra ius naturae. Cae*tamen*, vt existimes et concludas: *Ergo id indistincte etiam facere licet?* neutiquam! nam, si ius illud naturae aliquid fieri non prohibeat, semper tamen inquirendum est, numne ethica et politica aliud suadeat, aut religio naturalis aliud praecipiat, quia id, quod ius naturae cogens permittit, alia disciplina forsan dissuadet; idcirco assensum non merentur, qui eum statim ad agnatos et gentiles remittendum, aut pro inhabili iuris naturalis cultore declarandum esse, censem, qui talia in iure naturali profert, quae iis non comprobantur, et *παιχνίδια* videntur. Deinde specificatio, quatenus ad accessiones industriales refertur, in iure naturali plane exulat, inde verba definitionis ex iure ciuili desumpta et ad naturale applicata sunt, vt res eo melius et distinctius perspici et tractari posset. Quod ut moneam, ideo me adstrictum sentio, quia absonum satis esset, in statu naturali absoluto affirmare, me rem alienam possidere, cum is, qui propitio iure naturali possidet, semper sit dominus, ideoque specificatio proprie cogitari plane non possit.

## §. IV.

### DEFINITIO EX IURE CIVILI SVMTA. THEMA PROPONITVR.

**S**PECIFICATIO est *accessio industrialis*, *qua quis ex aliena materia, suo nomine, nouam speciem facit*. Sic doctores ex iure ciuili eam definiunt. Requiritur itaque 1) hominis industria 2) alie-



aliena materia, 3) ut nouam quis ex hac conficiat speciem 4) idque suo nomine. Dupondiis satis iam nota sunt haec requi-sita, ideoque hoc loco amplius me non tenent. Potius fe-quens quaestio thematis locum occupat: Si quis commemorato modo, ex materia aliena, suo nomine, nouam conficeret spe-ciem, num is, cuius opera res aliena nouam formam accepit, an potius dominus pristinae materiae, ex qua noua species producta, huius dominium ex iure naturali acquirat? Prius quam ipsam rem aggredi licet, sequens distinctio, ut accu-rate procedam, praemittenda est: Specificans, aut bona aut mala fide, rem alienam possidet, et quidem bona fide, dum putat, imo sibi persuasus est, rem esse suam, quia iusto et legi-timo modo possessionem eius nactus est; mala vero fide, scili-cket rem iam occupatam fuisse, et sine iure, vi aut alio illegitimo modo, sibi possessionem acquisuisse, non ignorat. Hac distin-ctione praemissa, accuratius, quam alii fecerunt, me propo-sitam quaestionem decidere posse puto.

## §. V.

BONA FIDE SPECIFICANS IDEO, QVIA POSSIDET,  
NOVAE SPECIEI DOMINVS FIT.

**A**d primum caput quod attinet, nempe num is, qui bona fide rem alienam possidet, ob suam adhibitam industri-am dominium huius speciei sibi acquirat? confiteor, satis ro-bustis, ut mihi videntur, argumentis me commoueri, ut affir-mem,

mem, hoc casu specificantem dominium nouae speciei omnino  
retinere, ast non ex eo, quia nouam alienae materiae formam  
dedit, sed ideo, quia bona fide possidet, in statu enim naturali  
absoluto; hic cum possessione simul dominium accipit, quod  
pluribus iam demonstrabo.

## §. VI,

**Dominium et omnia sub eius loco in statu naturali  
abso luto pari passu ambulant.**

**AD OCCUPATIONEM FACTVM EXTERNVM ID QVE**

**CLARVM REQUIRIPVR.**

**VERA ET SOLVS ANIMVS NON SUFFICIVNT.**

**N**obilitata satis, nota et a multis immortalis famae viris  
adoptata est sententia, Belgae illius Celeberrimi COR-  
NELII VAN BYNKERSHOEKII<sup>o)</sup>: Iure naturali possessionem  
et dominium esse vnum idemque. Certe, si de statu naturali  
absoluto sermo est, non habeo, cur dissentiam. Sic optime  
quoque originem dominii explicat Vir ob gentem, pariter ac  
eruditionem, illustrissimus FRID. LVD. S. R. I. Comes in  
SOLMS etc.<sup>p)</sup> Omnes res a natura sunt nullius seu potius in  
communione, vt dicunt primaeua, natura neminem rerum  
dominum statuit, singulis in omnia potestas competit, aequa-

B

lis

<sup>o)</sup> BYNKERSHOEKIVS in Tr. de dominio maris cap. I. reperitur  
in opusculis BYNKERSHOEKII minoribus, quae CONRADUS  
edidit Tom. I. p. 293.

<sup>p)</sup> Comes in SOLMS in diss. de Maioratu Lipsiae 1729. habita.

Jis omnium hac in se est conditio, ita ut cuiuslibet res in suum  
vsum converttere liceat. Hoc, ut rite fiat, ut res e commu-  
nione tollatur, et exclusis aliis sibi aliquis habeat, factum exter-  
num requiritur, ex quo caeteris erit intellectu, rem iam occu-  
patam et non amplius in communione esse. Factum hoc exter-  
num debet esse clarum, ceu Nic. HIERONYM. GUNDLINGI  
GIVS<sup>1)</sup> recte monet, (etsi eodem loco in sequentibus non aequa-  
bene progredivit,) et dicitar apprehensio; quae corpore et  
animo simul fieri debet, nam verbis tantum et sole animo, nec  
occupari res, nec occupatae rei dominium reuerti potest, puta  
in statu absoluto, id quod praecipue contra THEOPH. GERH.  
TITIVM<sup>2)</sup> et Nic. HIERONYM. GUNDLINGIUM<sup>3)</sup> modo  
laudatum obseruandum est.

## §. VII.

OCUPATIO TANQVAM RES FACTI SEMPER  
DEMONSTRARI DEBET, ALIAS QVAELIBET RES  
COMMVNIS PRAESVMITVR.

**M**eritis verbis et solo animo rem rite non occupari, in fe-  
quentibus prolixius demonstrabo. In statu naturali  
occupatio semper est probanda, quia res semel occupata et  
non

q) GUNDLINGIVS in Iure Nat. et Gent. cap. XX. §. 12.

r) TITIVS in diff. de dominio in rebus occupatis ultra possessionem  
durante Lips. 1704. habita.

s) GUNDLING in GUNDLINGIANIS part. XXXI. Obs. I. et  
idem in diff. de rei vindic. ex iure Romano et patro, Halae  
1726. habita.

non rursus dericta, porro occupari, sine iniuria, non potest. Singulis enim in omnia competit potestas, cuilibet rem occupare sibi habere licet; quid itaque, iure suo quis virut? occupat rem? possessionem acquisivit et nemo, nisi is, qui potius ius habet, hanc rursus adimere potest. Nam vero omnium aequalis est conditio, ergo nemo, legitimo modo quaesitam possessionem, rursus auferre sine iniuria poterit. Quotiescumque igitur alter rem legitimie iam esse occupatam sentit, ratione huius rei, non amplius potestate rem sibi habendi gaudet, potius excluditur. Sed unde alter intelliget, rem a communione esse exemptam? nonne huic, qui occupauit, incumbit probatio? Omnia, occupatio, tanquam res facti, nuncquam praesumitur; is iraque, qui hanc pro fundamento iuris sui allegat, rite eam indicare et demonstrare debet, ut exinde alter cognoscatur, rem non amplius in communione esse, quia alias huic semper ius aequale in res communes competit, et in dubio semper praesumitur, omnes res esse communes, donec ex facto externo contrarium euinci potest.

### §. VIII.

OCUVATI<sup>O</sup> DEMONSTRATVR VEL PER CÖPORALEM

POSSESSIONEM VEL PER SIGNA EXTERNA

CLARA MANUFACTA.

**H**aec demonstratio sit vel per corporalem possessionem, quam Graeci *xatōxim* seu incubationem appellant, vel per signa externa, clara, manufacta. Sic, si acru corporali rem possideo



seu rei quasi incumbit, ea intentione, ut rem mihi habeam et retineam, cuiuslibet facile erit intellectu, rem iam esse occupatam. Idem procedit, si corpore quidem rem non possides, cum *natoxyn* in multis rebus valde difficultis et fere impossibilis sit, manu ratiuncula et industria signa quaedam, eaque clara, quibus indicata, mea rem exclusis aliis possidere velle, adieci, certe his obseruatis iure, quod mihi competit, viro, et alius his cognitis, sine pacis externae turbatione, ultra rem sibi acquirere nequit.

## §. IX.

**QVANDO OCCUPATIONIS FACTAE DEMONSTRATIO**

**DE DICIT RES NEC OCCUPAVIT NEC**

**ACCUPATA RETINEVIT.**

**C**um itaque ad id, ut res communis esse desinat, requiratur occupationis haec vero facti, et, aut per corporalem possessionem, aut signa externa clara, demonstranda sit, sequitur, ut nec verbis, nec solo animo, occupationis fieri, aut possessionis renineri possit. Nam in utroque casu legitima occupationis probatio cessabit. Turbas, quae signo, cogites, quae inde necessario enscerentur. Quid enim, si avarus in medio mundi subsistens, pronunciaret: omnia, quae existunt, mihi occupata esse iubeo; num ideo concludendum, cum uno halitu, omnium statim regnum acquisuisse possessionem aut dominium? Porro producatur alium eiusdem facinae, cuius sola mors voluptatem, et emolumentum

mentum adseri heredi, hunc, impunis, producas aut produci singas, sane persuefus sum, cum modo perspecta et cognitis multitudine et varietate rerum existentium, dum nimis cupi- dicare omnia sibi habendi, sicut, statim cogitaturum esse; Omnes res mihi occupatae sunt. Sed hoc modo occupatio facia, unde probari poterit? sane verba semel prolatas, amplius audiri sequuntur, nec cogitationes alterius perspicere quis valet, nec cogitans ius suum principium demonstrare potest, patet itaque, quia in statu naturali, regulariter, quaelibet res nullius est, potro quilibet hanc apprehendere et in usum suum, exclusis aliis, conuertere potest, nisi intelligat, rem ab alio iam esse occupatam et e communione ademtam, solis verbis et solo animo valide res occupari non posse, nam indicium, ex quo alter faciam occupationem colligere debet, deficit, et hoc de- ficiente quaelibet res praesumitur communis. Eadem ex ratio- ne nec possesso solo animo retineri potest.

## S. X.

### IN STATU NATURALI ABSOLUTO, AMISSA POSSESSIONE AMITTITUR DOMINIUM.

**P**ossessio, in statu naturali absoluto, per occupationem quae- sita, et, prout nunc descripta est, tribuit ius rem separatim habendi, ex qua in propriis usum conuertendi et retinendi. Prius corporali apprehensione, posterius vero corporali pos- sessione et signis externis manufactis acquiritur. Iam pone,



Signa externa non adfunt; nec corporalis possellio, quid tunc? possessionem; quaes solo animo retineti nequit, amisi, et simul ius rem separatim habendi, ius rem in proprium usum convertendi, quod possellio tribuebat; cum itaque nil plane ad sit, ex quo alius, rem occupatam esse, intelligere posset, sequitur, ut eo ipso in statum pristinum naturalem res redierit, atque possellio et dominium in iure naturali pari passu ambulet, ideoque amissa possessione amittatur dominium. Hoc tenet de iure naturali, quod absolutum seu primarium, vocant, directum tantum volo, nam aliter in hypothetico seu secundario, ubi pacta et modi acquirendi deriuatiui occurront, de quo infra pauca adiiciam.

### §. XI.

BONA FIDE SPECIFICANS, NOVAE SPECIES PRODUCENS  
EST DOMINVS.

**H**is praemissis, ad decisionem quaestionis (§. V.) proposita me conuerto. BONA FIDE SPECIFICANS, NVM NOVAE SPECIES SIT DOMINVS? id, quod affirmare cogor, dominium enim, quod in pristina materia competebat, in noua specie retinet. Is, qui ante rem, animo sibi habendi, occupauerat, quem dominium pristinæ materiae dicunt, possessionem rei amisi, iam vero amissa possessione amittitur dominium, sequitur ergo, ut is, qui ante sibi rem occupauit, nunc huius dominium amiserit. Porro bona fide specificans

rem

rem possideret, possessio et dominium iure naturali pari passu ambulant, valide itaque concludo, bona fide specificantem, dominum esse nouae productae speciei. Sed quid, si prior rei possessor rem rufus vindicat, aut satisfactionem ab eo, qui bona fide possideret, postular, nonne hic ad rem exhibendam iure armorum cogi poterit? Nentiquam, deficit enim argumentum cogens, quo rem meam a bonae fidei possessore vi armorum separari. Quae Nicot, Hartron, GUNDLINGIUS<sup>1)</sup> moneret, mea non conuincunt.

## §. XII.

**QUE MATERIALE DOMINIUS ERAT REM VINDICARE AUT  
SATISFACTIONEM EXIGERE NON POTEST A BONA  
FIDE SPECIFICANTE.**

**R**ei vindicatio, hoc in casu, locum habere plane nequit, cum ea tantum domino ex iure dominii, competit, iam vero, qui possessionem amisit, dominus amplius non est, ergo nec rem vindicare valet. Sed nec satisfactionem exigere potest, hanc enim laesus a laedente contendit et in casu denegationis, siue imperium Iuris naturalis contempnatur, illi datur ius armorum. Finge itaque bonae fidei possessorum, et considera, num laesus et laedens adsit. Laesus dicitur is, cui, iniusta vi, ius perfectum eruptum est, laedens vero, qui, vi iniusta, ius perfectum eripit. Sane is, qui in bona fide est, iure bonae fidei suae

1) GUNDLINGIUS in Iure Nat. et Gent. cap. XX. §. 106. seqq.



Suas vnitur, legitimo modo recte sibi aquistari, cessat voluntas laedandi, licet veritas alioquin opinione fortior, ergo et omnis imputatio, omnis iniustitia, eoque ipsa vis iniusta; cum vero is, qui vi iniusta ius perfectum eripit, faciens denrum diei potest, sequitur, quod bonae fidei possessor neutiquam pro laedante haberi possit. Deinde is, qui ante rem possidebat, aut sua tantum culpa possessionem amisit, aut non; si prius? Iacetus non est, sibi enim id, quod desiderata sentit, imputare debet; altero casu, si sine culpa possessionem amisit, pro laeso quoque haberi nequit, quia, si de bona fidei possessore sermo est, omnem vim iniustum cessare puto, quae tantum necessario ad laesione tequiritur. Desaper nulla sit causa, cur possessor bona fidei infortunium rei creptac magis sustinere debeat, quam primus possessor, prout THEOPH. SAM. TREVERVS<sup>v)</sup> docet.

Pater itaque ex his, bona fide specificantem, nullo modo ad satisfactionem, seu, ut rem restituat, cogi posse, ergo et dominum esse, materiae pristinae pariter ac nouae speciei, quam ex materia illa consecit. Ideo vero nouae speciei dominus non est, quia ex tudi materia speciem produxit; sed potius, quia bona fide possessionem, et cum ea simul dominium, adepatus est.

*Contra iuris iurandum, hoc est, ut bona fide possessor et dominus, et cum ea simul dominium, adepatus est.*

**§. XIII.**

v) TREVERVS In not. ad PVFEND. de Offic. H. et Ciu. Lib. I. cap. XIP §. 3.

## §. XIII.

QVI MALA FIDE POSSESSIONEM REI ACQVIRIT HVIVS  
SIMVL FIT DOMINVS  
ILLE TAMEN QVI ANTEA BRAT DOMINVS IUS  
ARMORVM EX LAESIONE COMPETIT

Iam ad alteram quaestione: Rem alienam mala fide quis possidet, quaeritur: num is, dum nouam ex hac materia produxit speciem, huius dominium, propter suam industriam adhibitam, acquirat? Priusquam dico, quid sentio, inquirendum esse mihi videtur: num malae fidei possessio, rei, quae alterius fuit, cum possessione simul dominium acquirat? et putarem. Audias virum satis celeberrimum CHRIST. HENR. BREVNINGIVM: <sup>\*)</sup> qui, *isa concludo, inquit, amissa possessione, amitteretur dominium.* Sed Paradoxon videri, baud dubito; Finge enim tibi vi eripi possessionem: an ereptum final iudicabis dominium? affirmo; ita tamen, ut si vis illata sit et sic iniuria, inferens ille iam hostis facetus, obindeque pari ratione tanquam hostis non modo a me hostiliter tractandus, sed possesto, rei meae vindicatda, quod enuo acquisita, denuo quoque dominium acquisitum esse arbitror. Haec ergo vindicatio non ex ipso dominio adbuc penes me existente prouenie, sed et illata iniuria et vis caussae sunt primae, ob quam satisfactio a laedente exigitur. Sane huius sententiae,

C

in

<sup>\*)</sup> BREVNING. in diss. de praescriptione liberis gentibus incognitis cap. III. Lipsiae 17; 2. habita.



in statu naturali absoluto, album calculum adiiciendum esse, nullus dubito, nam amissa possessione, amittitur ius rem retinendi et in meum commodum, aliis exclusis, conuertendi, quippe quod proprie possessio in iure naturali producit. Sed contrarium forsitan aliquis ex eo euincere tentabit: si res rite occupata, possessioque rite quaesita, nemo iusto modo acquisitam possessionem seu dominium, sine iniuria et sine pacis externa turbatione, eripere potest, quia in statu naturali aequalis omnium est potestas rem apprehendendi, separareque habendi, ex semel possessione adepta, melior est conditio possidentis; Bene quidem, nemo huic, qui rem iusto modo possidet, iniusto possessionem eripere potest, attamen si nihilominus alter iniusto modo alterum a iure, quod huic ex possessione competit depellit, hic possessionem et simul dominium omittit, quia amissa possessione, solo animo, sine pacto, dominium retineri nequit, ille vero dominium et possessionem iniusto modo adipiscitur, eoque ipso pacem externam turbat, et ideo contra hunc, tanquam hostem, competitius armorum, quo eum adigere possum, ut satisfactionem praeceter, et rem eiusque dominium restituat, id quod optime **CHRIST. HENR. BRENNINGIVS**<sup>y)</sup> his verbis monet: *Haec rei vindicatio, non ex ipso dominio penes me adhuc existente, prouenit, nam hoc simul cum possessione exspirat, sed potius ex laesione, ex iniuria et vi mihi illata.*

## §. XIV.

y) BRENNINGIVS loc. laudato.

## §. XIV.

**MALA FIDE SPECIFICANS SPECIEI EST DOMINVS  
IS VERO QVI ANTEA ERAT DOMINVS IURE ARMORVM  
OB VIM INIVSTAM GAVDET**

**H**is praesuppositis, principalem quaestionem decidere, facile erit. Is qui mala fide rem alienam possidet, ex eaque, sua industria, nouam producit speciem, ideo, quia possider, fit dominus, attamen, quia iniusto modo et sine iure possessionem adeptus est, simulque hoc factum, ex quo alter non leuem sentit laesionem, ei imputari potest, contra hunc iure naturali, ob pacem turbatam, ius armorum datur, quo is, qui antea iure possidebat, satisfactionem exigere et specificantem, ut rem, eiusque dominium restituat, cogere potest.

## §. XV.

**IN STATV NATVRALI HYPOTHETICO DOMINIVM  
ET POSSESSIO SEPARARI POSSVNt  
POSSESSOR PACTITIVS MALA FIDE SPECIFICANS  
SPECIEI DOMINVS NON FIT**

**D**ixi supra §. X. in iure naturali hypothetico, possessionem et dominium non prorsus esse unum idemque, nam factio hominum, pactis scilicet, naturali iuri robur addi, angustiae eius laxari, et ius, quod alias corporali detentione finitur, animo conseruari potest. Quid itaque tunc dicendum:

dum: Si quis possessionem solam alienae materiae acceperit et alter pactum adiecerit, se solo animo dominium retinere, ideoque hoc ab illa separare velle, num ille, qui mala fide nouam speciem producit, exinde erit dominus? Nego, specificatione enim sola dominium alicuius rei, iure naturali, acquiri nullo modo potest, in statu quidem absoluto, sola possessio talis iuris, quod in ciuitate dominium audit, tribuebat; nam vero pactum accedit, quo constitutum, ne possessio tale ius tribuatur, quid tunc? scilicet dominium, quod alter pacto retinuit, omnino est separandum, titulus erit validus aduersus ebs, quibuscum pactum interpositum est, et ex capite dominii satisfactio exigi, resque ipsa, a specificante mala fide, vindicari potest. Per tale pactum, ius perfectum accipit, ut rem suam reperere possit; alter eodem pacto perfecte est obligatus, ut rem restituat: nemini vero inuito ius perfectum, sine iniuria, eripi potest, ergo etiam huic, qui solum dominium habet, hoc nullo modo inuito, sine iniuria, eripi potest, et possessor talis nolens vi armorum ad rem restituendam adigi potest.

### S. XVI.

DOMINVS REI MALA FIDE SPECIFICANTEM  
INDEMNEM PRAESTARE NON TENETVR

EX REGVLIS IVSTITIAE

**T**is, qui ex pacto nudam possessionem alienae materiae tantum habet, et ex hac nouam producit speciem, indistincte restituere hanc tenetur. Dominus, qui rem vindicat, nec specifici-

cificantem indemnem praestare, ut huic damnum ratione ope-  
rae, artis et industriae, quam adhibuit, resarcire obligatione  
perfecta tenetur. Consuetam formulam plerumque recentio-  
res cum veteribus recitant: *Nemo debet cum danno alzertis fieri  
locupletior*; prout nominatim Nic. Hieron. Gundlingius<sup>2)</sup>  
philosophatur. Verum tenim vero haec regula aequitatem si-  
mul concernit, in iure naturali cogente autem non debet ha-  
sed de iustitia ratiuncula, sed de officiis erga alios, quae ex iure  
perfecto descedunt, agitur; ergo est hie eam regulam, eatenus,  
quatenus denegationem iuris perfecti non comprehendit, exu-  
lare puto.

### §. XVII.

#### IN IURE NATURALI VBI NON IUS IBI NEC OBLIGATIO

**D**ominum rei perfecte non esse obligatum, ut specificantem  
indemnem praester, sequentibus demonstrari potest: In  
regula infallibile est illud iuris naturalis axioma: Vbi obliga-  
tio, ibi altera parte ius est, et vbi ius, ibi semper obligatio,  
adeo ut superflua sit Nic. Hieron. Gundlingii<sup>3)</sup> limi-  
tatio. Si igitur dominus obligatus esse debet, ut damnum re-  
sarciat, specificans iure perfecto gaudet, necesse est, quo  
dominum in casu contrario vi armorum cogere potest, nam  
vbi non ius, ibi nec obligatio.

### §. XVIII.

2) Gundlingius in iure Nat. et Gent. cap. XX. §. 105.

3) Idem in iure N. et G. cap. I. §. 57.

**S. XVIII.**

**OBLIGATIO CONNATA PERFECTA DEFICIT RATIONE  
DOMINI ET IUS PERFECTUM CONNATUM  
RESPECTU SPECIFICANTIS**

**I**ura perfecta sunt vel connata, vel acquisita, et inde obligations perfectae vel connatae vel acquisitae; inquirendum itaque, num ratione specificantis ius **connatum** et ratione domini obligatio connata adsit. Neutrū adesse, affirmare non dubito; nam quoad ius, nemo quidem in bonis fortunae laedi debet et quilibet perfecte obligatur, ne alterum laedat, at tamen de iis bonis fortunae, hoc tantum intelligendum est, quae justo modo possidentur, & super neutram inde sequitur, ut alter mihi res et operas suas obrudere, eaque ipso me inuitum sibi obligare possit.

**S. XIX.**

**NEC IUS SEV OBLIGATIO ACQVISITA PERFECTA DOMINVM  
AD AESTIMATIONEM PRAESTANDAM ADIGIT**

**M**ulto minus ex iure seu obligatione acquisita dominus ad operarum aestimationem praestandam adigi potest, deficit enim duorum consensus et pactum, quo dominus operarum solutionem promisit; iam vero nemini tale ius **connatur**, nec aker, nisi ex pacto, quod accedit, obligatus est, sequitur ergo, vi nec specificans ex iure vel concreto, vel acquisito operae

opere et industrias suae aestimationem exigere possit, nec dominus, viroque modo, perfecte ad damnum refaciendum obligatus sit. Dominus iraque rem suam, cum accessione, quae felue materia statim separari nequit, vindicat. *NIC. HERON.*  
**G**VNDI IN ILLIS distinctio inter impensas necessarias, viles et voluptuarias omnino non admittenda est, frustra enim in iure naturali cogente, vii puto, ad aequitatem prouocat, ubi iustitia aliud praecipit.

## §. XX.

### IN STATU HYPOTHETICO NATURALI TERTIUS BONA FIDE SPECIFICANS SPECIEI EST DOMINVS

**T**andem ad tertium bonae fidei possessorem: Dominus, alteri solam possessionem rei suae concedit, sibi vero dominum pacto retinet; is, qui possidet, amittit possessionem, tertius quidam, bona fide, eam acquirit, quaeritur: an hic nouae speciei sit dominus, quam ex hac materia producit? Non dubito idem, quod supra de bonae fidei possessore dictum est, hoc loco quoque affirmandum esse. Optime vir Iurisconsultissimus Io. *GOETFR. SAMMET<sup>66)</sup>* ait: *deficit argumentum cogens, quo rem meam a tertio bonae fidei possessore vi armorum repetam.* Hic enim, simul cum possessione, dominium accipit, quippe

*66) G*VNDI IN iure Nat. et Gent. cap. XX. §. 105.

*cc) S*AMMET in exercit. I. recept. lectionum ad IAVCHIVM, in collario sub finem adiesto,



quippe quod in statu naturali non, nisi pacto, separari posset, iam vero pactum, quo dominus prior dominium sibi reseruar, contrahentes tantum concernat, scilicet qui pactum interposuerunt, aliamque obligare non posset, ergo nec tertium habet ad eius possessionem. Hic itaque, ideo, quia possidet, novae speciei erit dominus.

## §. XXI.

**S**ic iudico, quaestiones de specificatione, ex iuris naturalis principiis decidendas esse. Aut recte? iudicent alii. Sin malius? meliori dñeant, refutentque ea, a quae dicta sunt, quod lubericissime concedo, si modo iure et ex iustitiae regulis id fiat. Alias enim praestantissimum et notatu dignissimum ANGISTRI LABEONIS<sup>1)</sup> effatum cogitent:

**SVVM QVEMQVE IUDICIVM HABERE.**

Conf. FRID. LVD. S. R. I. Comes in SOLMS etc. in diss. de Majoratu loco laud.

ee) SVETONIVS in vita AVGVSTI cap. LIV.

